



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim**

**Innozenz <III., Papst>**

**Parisiis, 1682**

Petro Compostellano Archiepiscopo.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-20006**

clementia temporis, quām ex forma mandati quam facimus, ab soluti fautores ejus jugiter ad propria revertantur. Nos quoque non solum pro commissis excessibus, verū etiam pro reatu perjurij, eum & fautores ipsius, si forte contra factum & receptum mandatum veniret, in eandem excommunicationis sententiam reducere curaremus, & esset contra eum manus nostra ex virtute divina validior quām fuisse. Inspiret autem ei is qui vult omnes homines salvos fieri, & neminem vult perire, ut ita fideliter mandatum nostrum observet, ut nec creatorem offendat, nec nos oporteat contra eum gravius commoveri. Monemus igitur universitatem vestram, ac per apostolica vobis scripta mandamus, quatenus circa devotionem apostolicā sedis & ejusdem Regis fidelitatem ex hoc ferventiores effecti, ea quā honorem ipsius, quietem vestram, & statum regni respiciunt, solicite procuretis, ab omnibus vobis præcaventes insidiis, ne per securitatem aut fraudem aliquid vobis sinistri valeat evenire. Nos enim, dante Domino, nec Regi, nec regno, nec vobis ipsis aliqua occasione deerimus; sed ea curabimus promovere, quā totius regni respicient incrementum.

*NOBILI VIRO MARCOVALDO  
Imperij Senescalco.*

Epi. 168.  
Gnaturatoria  
& cōfessione,  
& exhortatio-

**S**I multitudinem & magnitudinem excessum tuorum inspicias, & circa te mansuetudinem & benignitatem apostolica sedis attendas, mandatum nostrum non solum justum intelliges, sed & pium. Creditur enim à multis religiosis viris & magnis quod pro tot & tantis excessibus, quos cum tuis fautoribus perpetrasti, satisfactio condigna non esset, si etiam jussus transfretare fuisses, in defensione terrae nativitatis dominicā permanurus. Cū autem nos, non peccatorum tuorum magnitudinem attentes, sed inspicientes potius solitam mansuetudinem apostolica sedis, ea tibi dederimus in mandatis quā ad vitandum ieternum interitum deberes facere per te ipsum, non debes aliquid in contrarium postulare, cū id noveris in anima tua perniciem convertendum. Quid enim prodest homini, si universum mundum lucretur, anima autem suā derimentum patiatur? Licet enim ad reconciliationem tuam nos regni tranquillitas

invitarit, amplius tamen debitum pastoralis officij nos induxit, quo tenemur errantes ad viam rectitudinis revocare. Plus igitur lucrum anima tuā quām terra facere cupientes, cū spiritualia temporalibus à nobis præsertim sint merito præponenda; salutem anima tuā potius quām corporis attendentes, super eo quod postulasti à nobis per litteras tuas ut mandatum tibi à venerabilifratre nostro O. Hostien. Episcopo & dilectis filiis G. tiruli sancte Mariae Trans Tyberim Presbytero & H. sancti Eustachij Diacono Cardinalibus ut à ballo regni & invasione ac molestatione cessares, curaremus misericorditer temperare, te modò cum Deo nequivimus exaudire. Miramur autem quod post factum & receptum mandatum te Balium & procuratorem regni scribere non vereris: quanquam in litteris quas nobis misisti, id sub quodam involucro curaveris palliare. Monemus igitur nobilitatem tuam & exhortamur in Domino, ac per apostolica tibi scripta sub debito præstiti jura menti mandamus, quatenus necessitatem in virtutem convertens, à ballo, regni invasione ac molestatione desistas; cere ra sub eadem tibi distictione mandata nihilominus servaturus; cū ipsa rerum experientia te certificare debuerit quod balium regni non poteris obtainere, pro quo tuus haec tenus non profecit obtinendo conatus. Quia vero, sicut idem Episcopus & Cardinales sua nobis relatione monstrarunt, quædam nobis exponere velles, quæ nuntio nec litteris credere voluisti, gratum habemus, si ad præsentiam nostram accedas, & ea efficias quæ idem Episcopus per suas litteras plenius intimabit. Nos enim cū per litteras tuas de adventu tuo certificati fuerimus, securum tibi faciemus præstari ducatum.

*PETRO COMPOSTELLANO  
Archiepiscopo.*

**A**D nostram noveris audientiam pervenisse quod in diocesi tua manus iniicientes in Clericos violentas, cū à sede apostolica nimis sint remoti, propter aratem & infirmitatem illuc nonnunquam vix accedere valent, abolitionis beneficium perituri. Ut autem excommunicatos hujusmodi ad nos non valentes, propter impedimenta quæ premissimus, proficiisci, & mulieres Clericos

Epi. 169.  
Quod Episco-  
pi abfoliunt eos  
qui manus in  
Clericos in-  
cerunt, mī sit  
enormis laeto,

## 448 Epistolarum Innocentij III.

verberantes absolvere tibi liceat in diocesi tua, fraternitati tuae auctoritate presentium indulgemus; nisi forte ipsorum excessus ita gravis fuerit & enormis, quod propter hoc censura sit sedis apostolicæ requirenda. Nulli ergo &c. nostræ concessionis &c. Datum Laterani.

*PETRO ARCHIEPISCOPO  
& Capitulo Compostellano.*

*Epist. 170.*

*Vide supra,  
epist. 145.*

**T**UStis petentium desiderii &c. usque ad verbum assensu, sententiam dilecti filii nostri G. sancti Angeli Cardinalis, tunc apostolicæ sedis Legati, prolatam super Votis beati Iacobi adversus P. Abbatem & monasterium Cellæ-Novæ, sicut rationabiliter lata est, nec legitima appellatione suspensa, ratam habentes, auctoritate apostolica confirmamus &c. Nulli ergo &c. confirmationis &c.

*PRIORI ET CAPITVLO  
Saren.*

*Epist. 171.*

**C**VM à nobis peritur &c. usque ad verbum assensu, monasterium de Iunquaria, & jus quod illustris memoriaræ A. quondam Hispaniarum Imperator vobis concessit in eo, cum jure patronatus concessio vobis à Militibus patronis ipsius, sicut ea justè ac pacificè possideris, vobis & per vos Ecclesiæ vestræ auctoritate apostolica confirmamus. Datum Laterani II. Nonas Augusti.

*ABBATI GEMBLACENSI.*

*Epist. 172.*  
Non imputatur electo confirmato, si eo prohibente pro ipsius confirmatione pecunia data fuit.

*Cap. Sicut  
tuis litteris de  
simonia.*

**S**ICUT nobis tuis litteris intimasti, cùm in Gemblacensi Ecclesia fueris à tenera nutritus ætate, monachus factus ibidem, in ætate matura consequenter promotus fuisti ad regimen Ecclesiæ Floriensis. Verum Abbatem Gemblacensi de medio post sublato, Gemblacensis Ecclesia, quæ prius te tanquam filium haberet, insciuim & absentem in patrem & pastorem per electionem te canonican nominavit. Et quoniam pastore carebat Leodiensis Ecclesia cathedralis, postquam per dies aliquot moram feceras in Ecclesia Gemblacensi, ad Colonensem Ecclesiam, quæ tua est metropolis, proficisciens ipsius auctoritate in Gemblacensi Ecclesia interim ministrasti. Ceterum postquam in Leodiensi Ecclesia fuit Episcopus institutus, is à te requisitus electionem de te factam noluit confirmare, aliud non prætendens, nisi quod de minori loco translata

tus fueras ad majorem. Verum cùm hæc tibi fieri pro extorquenda pecunia commissis, sub interminatione anathematis vetuisti ne pro facto hujusmodi aliqua pecunia offerretur. Et cùm quidam de fratribus, timorem Dei præ oculis non habentes, interventu munerum ad ipsius abbatiæ regimen aspirarent, finiores in Ecclesia quod malum immittentes, te inconsulto & penitus ignorantie contra excommunicationis à te factæ sententiam venientes, promiserunt pecuniam, & etiam exolverunt, sicut tibi postmodum est relatum; & sic ab Episcopo invitatus, institutionem libere accepisti ab eo, quemadmodum \* æstimabas. Super his ergo nos duxit tua discretio consulendos, si propter promissionem incognitam & prohibitam, quemadmodum est præmissum, tibi peccati macula infligatur, vel si de promissione nunc tibi cognita, tu cum fratribus, qui fecerunt eam, debebas pœnitere, cùm inhaerere nolueris simoniaca pravitati, paratus pro grege Domini subire labore, vel quamvis te conscientia non accuset, à suscepso regime, si decreverimus, abstinere. Quamvis autem secundum sacrorum canonum instituta etiam parvuli qui cupiditate parentum Ecclesiæ per pecuniam sunt adepti, eas dimittere teneantur; quia tamen longè diversum est non præbere consensum & expressum aliquid prohibere, taliter tibi duximus respondendum, quoniam ex eo quod contra prohibitionem & voluntatem tuam, à qua postmodum minimè recessisti, aliquis te penitus ignorante promisit pecuniam & exolvit, præsertim cùm \* is nulla tibi esset consanguinitate conjunctus, nihil tibi ad culam vel pœnam credimus imputari; nisi forte postea consenseris pecuniam solvendo promissam, aut etiam reddendo solutam. Alioquin continget quod alicujus factum insidias inimico paratis, ei damnosum existeret cui penitus displiceret, & sic aliquis de fraude sua commodum reportarer. Illos autem qui dederunt pecuniam, vel etiam receperunt, in tantum constat esse culpabiles, quod si excessus eorum esset Ecclesiæ manifestus, quæ non judicat de occulis, pœna essent canonica feriendi. Datum Laterani II. Idus Augusti.

\* In tertio Col.  
lett. postula-  
bas.

1. q. 3. cap.  
Quicunque.

\* In tertio Col.  
lettione, aliqui  
ex his

G. ARCHI-